

PANEGYRICUS
SERENISSIMIS CELSISSIMISQUE PRINCIPIBUS,
DOMINO,
DN. CHRISTIANO
ERNESTO,
MARCHIONI BRANDENBURGICO;
MAGDEBURGENSIMUM, BORUSSORUM, STETI-
NENSIMUM, POMERANORUM, CASSUBIORUM, VANDALORUM,
UT ET IN SILESIA, CROSSENSIUM AC JEGERNDORFFENSIMUM
DUCI: BURGGRAVIO NORIMBERGENSI, PRINCIPI HAL-
BERSTADENSIMUM, MINDENSIMUM, ET

CAMIN:

NEC NON DOMINÆ,

DN. ERDMUTH SOPHIAE,

SAXONIÆ, JULIÆ, CLIVIÆ ET MONTIUM, &c.
DUCISSÆ, LANDGRAVIÆ THURINGIÆ, MARCHIONISSÆ MIS-
NIÆ ET UTRIUSQUE LUSATIÆ, COMITI MARCHIÆ ET
RAVENSBERGI, DOMINÆ IN RA-

VENSTEIN, &c,

Augustissimo Conjugii Principalis Pari,
dictus

WITTENBERGÆ ad d. XXVI. Octobr. Anno cœc LXII.

oll. diss. A
380, 28

Serenissimo Nomiini Eorum devotissimo
Georgio Christiano Hoycto, Dresdensi.

Typis JOHANNIS HAKEN.

SERENISSIMO AC POTENTISSIMO
PRINCIPI AC DOMINO
DN. JOHANNI
GEORGIO II.

SAXONIÆ, JULIÆ, CLIVIÆ ET MON-
TIUM, ETC. DUCI:

SACRI ROMANI IMPERII ARCHIMARSCHALLO ET ELECTORI, LANDGRAVIO
THURINGIÆ, MARCHIONI MISNIÆ ET UTRIUSQUE LUSATIÆ, BURGGRA-
VIO MAGDEBURGENSI, COMITI DE MARCA ET RAVENS-
BERG, DOMINO IN RAVENSTEIN, &c.

UT ET

SERENISSIMO AT^QVE CELSISSIMO
PRINCIPI AC DOMINO,

DN. CHRISTIANO

ERNESTO,

MARCHIONI BRANDENBURGICO;
MAGDEBURGENSIMUM, BORUSSORUM, STETI-
NENSIMUM, POMERANORUM, CASSUBIORUM, VANDALORUM,
UT ET IN SILESIA, CROSSENSIMUM AC JEGERNDORFFENSIMUM DUCI: BURG-
GRAVIO NORIMBERGENSI, PRINCIPI HALBERSTADENSIMUM,
MINDENSIMUM, ET CAMIN:

Dominis suis Clementissimis
plenus devotissimi cultus

D. D. C.

Georgius Christianus Hoyer,
Dresdensis.





Nter cœtera gratulantium studia,
quibus præsens nuptiale festum ce-
lebratur, oratione exponere ea vo-
lui, quæ hujus temporis (quod me-
siore lapide notandum venit) propria sunt,
& lætitiae ac salutis publicæ argumenta sub-
ministrant. Merita enim, SERENISSIMI
PRINCIPES, in Rempublicam vestra variis
occasionebus diversorum temporum prædi-
cari possunt. Hoc votum verò & auspicatum
illud, quod initium, fœdus, peculiari oratio-
ne, suffragantibus Muisis, seculorum memo-
riæ commendari debet; qvum semel factum,
futurum sit sempiternum. Sed utinam cona-
tus meos par successus excepisset! Grandes
materias ingenia parva non sustinent, & ultra
vires aula succumbunt illicè ac deficiunt. Sed
VOS sereno ac vobis proprio vultu humiles

sermones, quibus vestris virtutibus lito, ac-
cipietis tamen. Quamvis enim quæ libe-
rales decent studia ac bonæ artes omnes,
Principum gratiâ ac favore excitandæ sint;
humaniores tamen literæ eorum benevolen-
tiam sibi certius promittunt: quæ instar
sequacium hederarum, quibus earum culto-
res aliâs vinciuntur & coronantur, nisi stami-
ne quodam ac subtemine fulciantur, humi-
serpunt, & à prætereuntibus concilcantur.
Cæterum quod augustissimum nomen tu-
um, ELECTOR SERENISSIME, præter
excellentissimi Generi tui, præscripsi, inde-
est, quod in Te, fonte ac scaturigine hujus
tanti gaudii publici, omne punctum felicita-
tis ejus communis versatur. Ad quem ergo
potius summa summarum omnis illius læti-
tiae ac gratulationis redeat, quam ad Te u-
num, CLEMENTISSIME DOMINE, in
quo & cœpit hic meus juvenilis impetus, &
quod spero, feliciter desinet quoque.

Nec.

Nec Te, SERENISSIME SPONSE
PRINCEPS, pigebit, Socerum Augustalem
in has vocatum partes videre, qui non aliis,
quam iisdem illis auspiciis in hoc descendisti
orbis terrarum theatrum. DEUS VOS
SERVET FLORENTES IN O-
MNE ÆVUM, PRINCIPES SE-
RENISSSI MI, FELICITATIS O-
MNIS PUBLICÆ STATORES!



A 3

RECTOR

RECTOR
ACADEMIÆ WITTEBERGENSIS,
JOHANNES ANDRE-
AS QVENSTEDT,
SS. Theol. Doctor, Prof. Publ. & Electoral.
Alumn. Ephorus:

CIVIBUS ACADEMICIS S. P. D.

Octiduum retrò effluxit, cum illuxisse feliciter istum, ab universis nobis & singulis expetitum, QVARTUM ET DECIMUM CALEND. NOVEMBR. diem, vidimus. Qvo, qvicquid auguste hactenus felicitati Sereniss. ac potentiss. Electoris Saxonici, Domini JOHANNIS GEORGII SECUNDI, &c. &c. Nutritii nostri clementissimi, decepsisse videbatur, ut illustrissimi Rominis Generum sortitus, spe nasciturorū Nepotū dulcissimā gravissimas imperii sui curas solari posset, largita abundē divina providentia est. Venit in has auspicato partes Serenissimus Princeps ac Dominus, Dominus CHRISTIANUS ERNESTUS, Marchio Brandenburgicus; Magdeburgensis, Porussorū, Stetinensis, Pomeranorū, Cassubiorū, Vandalorū, nec non Crossenium & Jegerndorfensium in Silesiā Dux &c. & desponsata antē Serenissimam ERDMUTHAM SOPHIAM SAXONICAM, sanctissimo sibi amoris fædere sociavit.

O optatissimū, hunc & felicissimū mensem! O illā desideratissimā lucem! qvæ tot maximos Principes; tot summa & excellissima potentissimarū, SAXONICÆ & BRANDENBURGICÆ, Domuum Capita; tot gentes populosq; damnavit voti, magnisq; ac ingentibus perfudit gaudiis. Neq; enim ad solos pertinet Principes, si quod insolentis lætitiae argumentum ipsis contingat; sed partem hujus maximam Subditi sibi vendicant: qui qvicquid aut prospere aut jucundi maneat Dominum, suæ non minus interpretantur fortunę. Atq; haud possunt aliter, qvando è

do è Principis auspicio sua metiri fata cōsverunt. Nam quād
admodum splendidissimum Solis jubar non sibi solūm , & cāte-
ris astris emittit rādios, sed eos in inferiora dispergit etiam, vi-
goremq; ac agilitatem aliquam mortalibus confert ; at defectio-
ne laborans contrā, nil nisi ominosa & tristia portendit : eo-
dem planè modo è Superiorum sorte , fortuna originem publica
habet, tristaturq; secundū illam , aut lētatur populus. Qvare
& hæc videtur communis felicitas esse , & qvicquid exinde aut
voluptatis, aut gaudii nascitur, ad omnes simul pertinere, qvi-
cunq; lētantium Numinā Princīpum, purpurāsq; ac sceptra ad-
orant. Qvod licet verissimum omnino sit ; putamus tamen Aca-
demiae nostræ peculiari aliquo jure incumbere, ut liberalius
reliqvis omnibus lētitię motus concipiatur: cūm incrementum
eius ac salus cum Serenissimi ELECTORIS SAXONICI prospe-
ritate arctissimè omnium con juncta sit. Patet eqvidem tam latè
optimi maximī PRINCIPIS Clemētia, qvām latè Saxones, My-
siq; , ac cāterat subjectæ ipsi gentes colunt: non tamen æqvē hæc
fovet omnes, nec omnes pariter indigent eā, prēcipue qvi ha-
bent, qvod sperare à seipsis ac polliceri sibi valeant. Sed Musas
verò nostras, qvis nescit, facultatem, florem, vigorem, ac vi-
tam deniq; omnem abs clementissimi Nutritiū sui traxisse non
tantū serenitate; sed firmā hactenus possessione quoq; obti-
nuise? Quinimò si frui hāc vetarentur in posterum, aut agerent
animam penitus, aut nitorem certè suum amitterent, & squalore
conficerentur miseræ. Adeò tenerimæ, & satis perqvām sunt fru-
gibus similes: qvæ etsi gignantur à Solis bonitate & copiosissimè
furgant; nī coeli tamen aērisq; temperies, ac imbrium eas rigatio
educat ac foveat, nunquam ad glumam usq; , ne dum in aristam
excent. Qvapropter faciamus nunc, qvod dignum tantis
munificentissimi Domini meritis, qvod pietas nos, qvod sum-
morum Heroum fata jubent. Testemur humillimè officium: as-
surgamus auspicatissimo MAGNORUM PRINCIPUM Thala-
mo, & qvicquid tacitis hucusq; votis ac desiderijs pressimus, toto
finu effundamus. Neq; verò, qvæ Paganorum profanitas fuit,
ad Junonis Lucinæ delubrum parabimus victimas, aut Geniales
hymenæo

hymenæo Deos invocabimus, nec Augures Pontificesq; , ut
omen faciant, accersemus, nec tædas prælucemus PRINCIPI
SPONSÆ: qvin Deo potius immortali, auctori & patrono Con-
jugii, qvo auspice pronuboq; coaluerunt CELSISSIMA PECTO-
RA, gratias, qvas possumus, maximas agamus neceſſe est, o-
minantesq; benè de Principali hōc matrimonio, precibus soli-
citemus Numen, ut propriam hanc, ut perpetuam esse felicitatē
inclusæ SAXONICÆ Domui ſiñat. Qvod ſicut unicuiq; no-
strūm nunc incumbit præcipue, dum pompis adhuc ſolennibus,
dum festis gaudiis perſtrepit Aula: ita politiſſimus Juvenis,
GEORGIUS CHRISTIANUS HOYERUS, Dresdensis, præcla-
rum cepit impetum, declarandi pietatem communem publicè,
& Panegyricâ, qvam meditatus eſt domi, Oratione Serenissimo
juxta PATRÆ PATRI, & nexo ſac̄tissimis inter ſe vinculis, Cel-
ſiſſimo PRINCIPUM PARI, illuſtriffimas Nuptias gratulandi,
atq; ſupplicandi adeò ſupremo Numini, ut inoffenſa earundem
felicitas duretq; ac perſtet. Eleganter ornateq; ejus elaborata
Oratio eſt, ut nec rerum pondera, nec dictorum venustas ipsam
deſtituat. Favete itaq;, CIVES ACADEMICI, doctiſſimi Com-
militonis conatibus, dictuſoq; ad horam poſteā II. in Auditorio
majori prolixam navate operam haud tantum; ſed & iplius pie-
tati vestrām conjungite, atq; æternum Deum votis affiduis po-
ſcite, ut ſplendidiffimum AUGUSTÆ SAXONICÆ DOMUS
florem perpetuum præſtet, & nova continuo nobis ad ſperandū
benè gaudendumq; fufollat signa. P. P. Dominicâ

XXII. poſt Trinitat. anno Salutis Christia-
næ c̄lo Ic LXII,



I. NJ.

RECTOR MAGNIFICE,

Viri

Admodum Reverendi, Consultissimi, Experientissimi, Excellentissimi atq; Clarissimi, PATRES Academiae CONSCRIPTI; Tuq; nobilissima ac florissantissima juvenum lectissimorum concio.

BOnorum Principum felicitatem, votis omnibusque prosequi, subditorum est, qui se probare istis, & ad quævis obsequiorum munia paratos exhibere gestiunt; cùm in unis illeis possideant omnia: qui norunt rite ac intelligunt, auspiciis Eorum, curis atque provisionibus, vitâ, fortunas, salutē deniq; & statū omnē referri exactè & religiosissimè deberi. Quod nulli aut introspiciūt penitus, aut æstimat magis, quam qui detersâ opinionū vulgariū nube, sapientiæ præceptis illustrant animos, & se quatum quidem fieri potest, celsiori ingenio, & B forti

forti ad honesta impetu, à vulgi fæce secernūt.
Sic Augustum & Princeps Poëtarum, & Venus-
inus Vates certatim celebrant: quorum ille
Deum faciebat, & dedicabat aras; alter pacem,
terra marique partam, compositis undiquaque
bellorum turbis, eidem ferebat acceptam li-
beraliter: qui & pingue illud & Camœnis ami-
cum otium, altissimamque suis temporibus qui-
etem prædicat, laudibusque omnibus in cœ-
lum effert. Docet enim Philosophia, & illæ
mitiores, quibus erudití maximè censentur,
Musæ approbant, pulcherrimum esse, debe-
re beneficia & solvere decenter. Quam solu-
tionem ipsa propemodùm confessio præstat, nō
quæ secretò, & remotis arbitris (ut alias ferè)
ac intra conscientiæ penetralia suis defungitur
ritè partibus; sed quæ in oculis hominum, de-
votissimo animo ac reverente Principalem di-
gnitatem instituitur publicè, eō in primis tem-
pore, quô se inter variæ pietatis documenta
sponte exhibet occasio, quæ postulare quo-
dammodo, id genus reverentiæ videtur, quod
se conceptis devotè gratulationibus, in laudes
effundat optimorum Principum; precibusque
Summi Numinis clementiam veneretur, ut pro
pria ac perpetua, quæ illius dispensatione ob-

veni-

veniunt beneficia ; non nobis tantum esse si-
nat ; sed fructus etiam eorum , seris nepotibus
transcribat . Impii profecto & ingratissimi
civis est , auspicatissimo lætissimoque tempore ,
quo curæ Principum ac vigiliæ perennes , amœ-
nitate quadam distinguuntur veluti ; aut se pa-
terni Numinis bonitas , illustri favoris argu-
mento , eorum actionibus consilijsqve , (qui-
bus subditorum salus nititur in solidum)
commendat , non gaudere ex animo : sed
infelici silentio tot nomina beneficiorum
transmittere , nec ultrà privatum amore , Prin-
cipem optimum & securitatis publicæ custos
dem prosequi . Quod quemadmodum oppro-
prio natis de trivio hominibus existit ; ita non
meretur excusationem in iis , qui liberali ac in-
genua indole prædicti sunt , suspectos futuros
aut male dissimulaturos recentem felicitatem ,
turpiterque ad fortunæ præsentis munus con-
nientes . In cursus certamen aut ad agendas
in scenâ partes , compositi sumus ; opperiri igi-
tur , & excubare vigilanti animo ad temporis
quosque articulos debemus , ut dato si-
gno , & mappâ missâ prosiliamus ac admini-
strem⁹ , quæ humeris incubuerunt . Hæc atque
alia , dum in orationis limine , subeunt a-
nimum , non anxiè inquirendum , Auditores ,

omnium ordinum honoratissimi, cur hoc potissimum tempore ingressus dicere sim, & in quem usum nata haec oratio concinnataque & habenda fuerit. Ingentis enim affectus ea vis est, (si vera sunt, quæ Lydi Regis filio evenisse historia vetus narrat;) ut multis quoque exprimat vocem subito, & linguæ retinacula pietas solvat, rumpatque vinculum, & suppleat opportuno tempore, quod natura infelix antea negarat. Illud sane in me verissimum experior, qui in publicæ festivitatis sensu, infantia positius, quam obstinati ac inertis silentii crimen, malui sustinere. Innotuit enim Vobis (sicut læta percrebescunt facile, & instar surgentis flammæ emicant illicè ac dissipantur) auspicatissimi nuncii loquax rumor, & incredibili voluptatis gaudiiq; affectu, non aures tantu^m vestras, Auditores, sed intimos quoque perfudit sensu, de sacris connubiis & æternis, quibus colligatur vinculis, Illustrissimum Par Principum HEROS BRANDENBURGICUS, & HEROINA SAXONICA, ut stabiliretur utriusque domus ærerno foedere felicitas, & subditorum commoda tantorum Principum affinitate proximeantur magis ac incrementa feliciter sumant. Cujus quidem festivissimi gaudij frustus,

ctus, cùm ad omnes ex æquo pertineat; accusatio
rator tamen meditatio iis cedit meritò, qui
non tam communem omnium lætitiam, quā
singulorum & Patriæ cum primis nostræ sensum
aperire ex vero, & oratione piâ complecti pos-
sunt. Quæ eò gravior provincia est, quod
non temerè aut sub aliquâ adulatioñis specie,
sed cum prudentiâ & pari veneratione suscipi
juxta, & administrari perpetuo debet. Atq; hōc
magis exorandus mihi favor vester est, Auditio-
res omniū ordinum venerandi, quem non tam
orationi mæ, quām materiæ, de quâ mihi di-
cendum sumam, accommodare benevolentis-
simè velitis. Alacriorem hoc pacto reddituri
dicens animum, ut si publicæ lætitiae inter-
pres justus non sim, pietate tamen & affectu nō
omnino habear postremus. Et hæc quidem a-
pud vos, Auditores, fateri simpliciter ad excu-
sandum ingenii immaturum conatum licuit
forsan: sed major me invadit trepidatio, cū in
mēlē venit, quorū nominibus hæc cōsecrata o-
ratio sit; unde maximoperè vereor, ne majori-
bus theatris debitæ laudes & æternitatis secu-
lorum que tubâ vehendi illustres Heroum titu-
li, levi ac tralatitio cultu obsolescant. Inge-
nii enim acrioris & prudentiæ altissimæ res est,

moliri talia'; quæ ipsa Majestate sui ac excellentia cùm emineant longè; copioso ac splendido orationis genere explicari decenter ac dignè debent, nec aut Rhetorum constringi præceptis , aut in declamationum proletaria venire possunt. Sed habent Deorum instar, boni Principes, qui non tam accuratis adorantum precibus; quàm innocentia & sanctitate lætantur: gratiorque putatur, qui delubris illorum puram castamque mentem , quàm qui meditatum carmen intulerit. Nam & Heroës sibi, propter viam quandoque fieri gaudebant simplicis cultus libamina, & parvam acerram molamque falsam : & exstructas dapibus aras, thurisque lanceam, eodem aspiciebant oculo. Et quid attinet excusare operosius ista, cùm hujus instituti mei tot authores, Patronos quoque & socios inveniam. Quod enim Poëtæ, famæ & æternitatis auspices, numerosis lepidisq; cōmentis, in Principum Heroumque conjugiis ausi & nunc & olim fuere: id ego fieri commode posse arbitror; nec me migrare honestum ac decorum, æquos & harum rerum intelligentes censores, quales expeto saltem, judicaturos existimo. Ut Statii, Sidonii, Claudio, cæterorumque aut nostri aut illius ævi, illud, modulatis carminibus acclamatū Principi-

tipibus Imperatoribusque Hymen! Hymenæ! taceam libens; quid non ejus in veterū fabulis ac involucris observatur? Sic in Bacchi seu Dionysii illius Indorum triumphatoris, lætitiaeque omnis promicandi, cum Ariadne institutis, magna celebritate nuptiis, ipsum Musarum Præsidem Apollinem lyram pulsasse, cū ingenti omnium stupore, eaque fecisse, quæ singulari nupborum in celebri convivio animos, singulari lætitiae affectu explerent, compertum est. Non alium se in Pelei & Thetidis in Cadmi & Harmoniæ nuptiis præbuit, & communibus omnium desideriis cum Musarum choro Præsul ipse ac funem ductitans, concinnum, meditatum ac divinum carmen, quod Epithalamium vocamus, novis nuptis accinendo, satisfecit. Et inter varia gratulantium munera, Musicæque illecebras, Mercurius Deorum famosus interpres illorum nomine, orationis vice Hymenæum præcinuit. Quæ omnia de industria à prisci seculi sapientibus inventa sunt: quorū vim altissimumq; recessum, si quis indagare accuratius velit, inveniet sanè prudentissimè cogitata, conveniente similitudine adumbrari; & id probari maximè, quod intendimus. Sed ne fabulis teneamur tantum, historia fidem faciet,

pro-

prodita de Megacle, Paraliorum Tyranno. As-
garistam uxorem sibi legente, in quarum nu-
ptiarum solennitate, universa ferè Græcia ex-
cita sedibus suis cōfluxerat; & in celeberrimā
augustissimāq; Panegyrin, (qualis cōvētus refi-
ciendis ac recreādis, ut Plato ait, animis, à Diis
immortalibus institutus,) cōvenerat: ubi quis-
que in splendido festivitatis publicæ spectacu-
lo, ad apparatus magnificentiam id videbatur
agere, quod toto vitæ tempore singulari cura
didicerat. Et hic athletæ corporum robore
solido, thorisque insignes, gymnaſia sua cele-
brabant, & in ipsâ securitate ad difficultia præ-
parabāt animum, illumque contra injurias for-
tunæ, inter beneficia firmabant. Hic gladia-
tores cæsim punctione inferēdo ictus, officio-
sè concurrebant, virtutisque respectu, con-
firmato animo, ictus omnes ac dolorem habe-
bant insuper, populiique illud *Repete! Repete!*
geminatis ictibus revocabant. Alii saltatori-
um versabant orbem, & concinna morum ge-
stuumque & ad numerum instituta saltatione
convivas exhilarabant. Cantu quoque per-
strepebant omnia, & varia musicæ artis instru-
menta audiebantur passim, cum ali⁹ lyram fe-
raret, ali⁹ tibiam inflaret, ali⁹ tubam intona-
ret. Poëtæ denique & Oratores & qui elo-
quen-

quentiæ præceptis excultum attulissent animū,
vel grato carmine vel oratione splendida de-
fungebantur partibus; & prolixo affectu, nu-
ptialis festi pompam decorabant. Quæ eò
adduxisse operæ pretium fuit; ne fraudi sit,
quod ego inter gratulantium turbam exilis de-
clamator ac proletarius comparere & antici-
pare tempus quodammodo volui: ne si inutili
mora illud transmitterem, inter affluentem
undiique, aliorum similia forsan & magis de-
cōre agentium multitudinem, videri ipse ac
cerni, ne dum admitti possim, non nisi simplis-
cis reverentiæ obseqvia edoctus, quique splen-
dorē ad cultū aulæ & colorē ac pōpā, in facun-
dā dictione neglexi; satis habens, si antiquū il-
lud *Feliciter*, Augustissimo Principalis Conjugii
Pari acclamavero publicè; & sic partibus istis,
quanquā per veniam vestram, Auditores, quā
denuò precor reverēter, functus fuero tot⁹. Nō
opus est anxia cura & verborum lenocinio
commendare fortunæ munera, cum omnium
ordinum lætitia, instantem splendidissima-
rum nuptiarum solennitatem ornare ac ve-
nerari gestiat, quæ Principibus pacem, robur,
perpetuitatem & æterna foedera, hostibus no-
stris exitium & terrorem, nobis denique rerum,

C pro-

prosperarum affluentem copiam spondet, ac,
ut spes firma est, fert quoque.

O, candidum & felicem & propitium do-
mui Saxonicae diem! quod Potentissimus Prin-
ceps noster, JOHANNES GEORGIUS II.,
Pater patriæ, unicam supremæ eminentiæ Fili-
am, Spem Patriæ, tanto Germanicæ juventu-
tis Principi despondet! Quomodo illustriori
documento testari potuisset Numen hanc do-
mum, hanc inclytam familiam, illi curæ esse?
I nunc, & temerè omnia ac fortuitò fieri, nec
intervenire tantis negotiis Altipotentis præsen-
tiam crede! Evidem æternâ constitutione,
seu divina potius Providentia, ut Imperia ac
Principatus, sic conjugia disponi ac iniri, exi-
stimo. Quod in infimorum conditionibus
haud temerè credimus; multò verius in illus-
tri fortuna habebit locum, eorum maximè,
à quibus cæterorum sors dependet. Est pro-
fessò DEus, nec hoc eximi mihi è mente pati-
ar, qui ab omni æternitate disponit talia, &
cuique domui sua præsidia ac decora, singu-
lari bonitate dispensat, diuturnitatemque tan-
tis addit muneribus, & familiam per tempo-
rum vicissitudines ad paucos sæpè redactam,
restaurat atq; conservat. Quantum autem &
quam

quam amplum providentiae divinæ munus ; si
in connubiis Principum æqualitatem , & ad
quosdam quasi numeros revocatam harmoni-
am, omnes & mirantur & extollunt. Non es-
tim in privatorum tantum sorte , illud Samii
Philosophi obtainere debet ; qui cum omnia
quæ hujus universitatis ambitu continentur,
singulari concentus lege , & musico tenore fies-
ti, ac lucidissimos in cœlo ignes, suavi omnino
modulatione, suum orbem peragere autuma-
ret, connubia quoque ipsa harmoniæ quadam
dulcedine iniri, & ut omni ex parte felicia exi-
sterent, modulata esse jussit. Prudenter sanè
vetus sapiens, omnem felicitatis absolutæ cu-
mulum (qui consequi conjugia & excipere de-
bet) in æqualitate nuptientium constitutum
ac repositum esse augurabatur ; illudq; anti-
qvum observandum vigili cura monebat, *Tutio*
bi junge parem, quod Pittaci, Lesbii præceptum,
unius è septem Græciæ sapientibus, non tam
inter privatos, atq; in vulgò , quam in excelsa
fortuna, locum habere, nemo sapiens ambiget.
Cùm enim rerum administratio, auctoritate &
Majestate, quæ circumdat sceptra veluti, & illis
solidum impertit robur, nitatur maximè: nihil
magis officit tantis luminibus, quā disparis ma-
trimonii indignitas, qua minuitur ferè anti-

qui splendoris claritudo & illustris familiæ des-
cus vilescit. Si veterum annales revolvimus ,
& in decursa retrò secula imus, inveniemus il-
lustribus documentis prudentissimos quoque
& laudatissimos mortalium rectores, dum grā-
dia molirentur , & ad excelsa nisuri struerent
gradum , illustre quoque & æquale conjugium
in iisse semper ac optasse. Darius cum felici
auspicio hinnientis equi capesseret imperii sū-
mam, Cyri Regis filiam , in matrimonium re-
gnique consortium assumpsit, quo nuptijs illis
firmaret posteris, successionis certitudinem, ne
tam in extraneum aliquem delata imperij ma-
gnitudo, quam in regiam Cyri stirpem reversa
videretur. Quod contra evenisset forsitan, si in
consulto impetu , regni fortunam & tutelam
Majestatis, ignobili conjugio suspectam vulgo
reddidisset. Nec Perdiccas illud neglexit aut
parum pensi habuit. Quamvis enim annum
morientis Alexandri , tanquam tesseram &
clarum imperij traditi pignus accepisset ; ta-
mē ut Majestate & solidū robur imperio, cōcili-
aret Alexandri sororē, suffragante Olympiade ,
ambiit, quæ & Epirotarum Regis uxor antea ,
& Soror Magni Macedonum Regis fuit. Ar-
dens enim subditorum in legitimum Principē,
& in

& in cognatos illius culminis amor, & reverentia major est, obedientia quoque promptior & paratus obsequium: gravius contra odium & parata vindicta, fastidium quoque & impatientia erga eum invalescunt, qui familiam sanctam polluit matrimonio inconveniente, aut insidiosè & per cuniculos, hac via, grassatur ad honores. Apud prudentissimum scriptorem, Tacitum, observatum reperimus: adversis acceptum animis, quod Druſo, Sejanus sacer destinaretur à Tiberio, & ipſe Eques Romanus nobilitatem Augustalis familiæ pollueret, indignus regali face. Et inter tristia quoque relatum, quod Julia Drusi filia nupserat Rubellio Blando, cuius avum Tiburtem Esquitem Romanum plerique superstites meminerant. In libera etiam Republica, quanti quidem constitit patritiæ virginis, nupsisse Plebejo? quam cæteræ matronæ, ob admissum pia culare, ut illæ quidem credebant, nefas sacris arcebant, quod Patavinus scriptor accuratè meminit: qui gravissimam quoque querelam senatus Romani recenset; qua Canulejo Tribuno plebis de miscendis patritiorum connubiis contendendi responderunt: colluvionem gentium, perturbationem auspiciorum publicorum

corum privatorumque afferre Canulejum: ne
quid sinceri, ne quid incontaminati sit: ut dis-
crimine omni sublato ne se quisquam, ne su-
os noverit. Adeò Reipublicæ intererat, ut
salva ac illibata familiarum magnarum dignis-
tas servaretur, nec splendori antiquo labes ac
dehonestamentum invehernetur inæquali con-
jugio. Inde Antiocho Regi Acilius Consul
Romanus, exprobans detrahensque objec-
rat; Illum quasi quodam amoris oestro per-
citum, & Circæo veluti incantamento fasci-
natum, obscuri inter populares generis duxi-
se. Et varia exempla deinceps inæqualis con-
jugii afferri possent, si conquirere eam moro-
sè, & exutere veterū scripta allubesceret ani-
mo, cum & propiorum paulò temporum me-
moria quadam suppeditet. Quis enim hor-
tore sacri silentii damnandas Suecorum Regis
Erici XIV. nesciat nuptias? quarum infelici
exitum illustrissimus sui seculi scriptor, postea
ritati indigitavit. Notæ non minus in vulgus,
& inter nutricum susurros & blandimenta fre-
quentatæ narrationes de Libussæ Bohemorum
Reginæ & Marchionis Saluciarum cum Grise-
lide, (cujus tamen & Boccatus & Aeneas
Sylvius meminerunt) contractis imparibus nu-
ptiis. Aut quem nisi in historia hospitem lateat

Hein-

Heinrici Stuarti infaustum cum Maria Scotorum Regina, aut Tyderii Wallicum Catharina Heinrici V. Anglorum Regis , connubium ? quorum uterque, tragico & in omne ævum infelici exemplo, extremum docuit, quam periculostum ac temerarium planè sit miscere ignobilem sanguinem & obscurum genus, Regum stirpi , & antiquissimis longoque temporum tractu probatis nobilitatis insignibus , novum & vix è caligine ac tenebris emergens stemma addere. Adhærent enim profectò illustribus familiis peculiaria quædam ac propria insignia , & propagandæ ac derivandæ in sobolem virtutis semina clucessunt in majoribus ; quæ occulto planè & imperscrutabili modo , homines, in admirationem atque confessionem ingenitæ posteris virtutis trahunt ac impellunt. Sic Telemachum Homerus commendat hoc nomine, cui à Patre Ulysse , virtutis quasi quidam igniculi, unà cum vita collati , satis efficaci exemplo monstrabant, non illum privatæ fortis puerum, sed magni principis & nobilissimi Patris filium esse. Quantum verò splendori familiarum ac reverentiae & dignitati , denique & honori natorum detrahatur ignobis, le conjugium, nihil dicere attinet. Res ipsa & ad-

& adducta in medium exempla loqvuntur satis:
Obliterari familias nobiles, plebējas humiles-
que irrepere, intercidere, dignitatem omnem
ac decus, quod meliori sanguini justo præmio
& prudentum consensu debetur. Accedit denis
que eam demum amicitiam veram stabilemque
esse, quæ in æqualitate ac similitudine, inter
pares contrahitur. Quod Aristoteles, ingenii
Princeps, haud cunctanter innuit; quando æ-
qualitatem concordiæ vinculum esse Adaman-
tinum planè, & quasi quendam nodum Gordi-
um ait. Ubi quidem non ætatis tantum aut
mutui consensus rationem habuisse videtur:
sed fortunarum quoque ac opum; quanquam
dignitati ac honestati attendisse in primis vide-
atur. Quæ autem constantior amicitia
conjugali amore esse potest, aut quod maius obtin-
gere Principi bonum, quam sincerus & sine
foco ac fallacijs candidus omnino amicus, qui
pariter omne punctum votorumque comple-
mentum ferat. Hunc igitur amicum, hanc a-
nimorum & cordium conjunctionem, æquale
ac auspicatum conjugium facit: ubi & fortu-
narum & dignitatis similis splendor; & annos-
rum ac morem quoque habetur ratio. Quæ
omnia pulcherrimè ac decenter in connubio
magni-

magnorum Principum, quibus gratulamur in
præsenti, & applaudimus piis votis, conveni-
unt exemplo raro. Si ad Natalitiam claritu-
dinem intendo oculos, tot se Heroës utriusq;
generis, & inclyta majorum series uno obtu-
sistit: ut quos proferam imprimis & à quibus
incipiam maximè, ambiguus dubiusque sim.

Nam quid de summo PRINCIPIIS SPONSI
genere dicam? quod nobilissimum vetustissi-
mumq;, tot Heroës, quo homines ferè dedit,
Cæptum à Wittekindi magni Saxonum Ducis
Fratre Brunone, inter Heroici Grelphorum
sanguinis decora, Imperatores, Reges, Elec-
tores, Principes, & cætera dignitatum nomina
suo ambitu augustissimè complectitur. Fœ-
deribus quoque & affinitate illustrissimas ac
splendidissimas sacri Imperii prosapias attin-
git, & grandia virtutum insignia rebus præcla-
rè gestis jam pridem seræ posteritati exhibuit.
Nec opus forsitan erit, occupatum aliorum in-
dustria & nobilitatum argumentum anxia cura
latius persequi. Quis enim illustrissimam &
antiquissimam prosapiam Marchionum Bran-
denburgensiū, nisi infans in talibus literis, igno-
ret? Quæ ab anno Christi CCLX. incorruptis
bonæ fidei documentis, à Majorum nostrorum

D

incus

incuria, & seculorum vastissimâ barbarie vindicata; ab Artaricho, qui octoginta ante Servatorem natum, Annis, aut Rex Saxonum, aut Dux fuit, à quo illibata nobilitate & serie, Comites Altorsii & Ravensbergi & Comites in Zolleyn deinceps descendunt, deduci potest. Quis potrò Brandenburgicæ Domus merita cœlo æquanda, res feliciter in imperio gestas, & vetusta fortunæ insignia explicaret sa- tis? Quantum pariter in suis provinciis pos- sint Germaniæ Principes, qua vi, autoritate & eminentia polleant in Imperio, nemini obscu- rum est. Neque incognita amplius Burggra- viorum Norinbergensium potentia cuiquam, quorum provinciæ tot clarissimis Civitatibus, loci natura & operibus firmissimis, & omni es- legantiâ ornatissimis, illustres sunt. Fuit qui- dem hæc regio quondam cultu aspectuque tri- stis, silvis horrida, montibus aspera, frugife- tarum arborum impatiens & qualem Germa- niæ omnem Tacitus esse scripserat olim: ignota ferè remotioribus populis, inter doctos quoque, qui locorum situs, ingenia, qualis- tatesque delineant, nulla penè notitia illius, aut imperfecta plerumque ac fallens exsti- tit.

tit. Nolo præclara Geographorum opera
deprimere , aut suo genio ea , quæ æterna o-
mnes sperant , fraudare audaci nisu. Di-
cendum tamen est , illos in Franconiæ & Va-
riscorum Tabellis , incuriosos nimium ac ne-
gligentes tanti Principatus fuisse. Nec ea
nim angustis , Augustissimus Princeps spaciis
circumdatur ; quin potius tot inclytas civita-
tes , tot amœnissima fluenta , tot Metallorum
divites fodinas , hæc regio suis finibus compre-
hendit , ut difficile sit explicatu. Quem autem
quatuor celebratorum Germaniæ fluviorum ,
Mœni, Ægræ, Nabi & Salæ fama fugit ? Qui in
monte pinnifero à fontibus placide labun-
tur , & majore vi ac mole trahentes , magnum
Germaniæ tractum rigant ac interfluunt.
His saluberrimis fluviis nobilitata regio , ar-
cibus ac validissimis castris , civitatibus nit-
idis ac pagis visenda , purioris etiam doctri-
næ Evangelicæ & verè Catholicæ , ab Alber-
to usque Casimiri filio tenax semper fuit.
Summâ bonarum rerum affluentia Numinis
bonitate referta est. Nam ab Omnipoten-
te hujus Universæ Architecto , tanta in vi-
sceribus terræ ac fibris fœcunditate dona-

ta prae aliis est, ut Metalla quae in aliis orbis ter-
rarum provinciis, unius, duorum aut trium
generum effodiuntur, omnia ac singula, miro
ac largo proventu, & perenni ferè exhibeat.
Nec temerè existimo, naturam fautricem o-
mnia cumulasse bona & congesisse in hanc
clarissimam Europæi orbis regionem, ut quæ
alibi rara ac singula, hic quodam fœcunditatis
genio se ubique insinuante, omnia ad satieta-
tem usque & voluptatem inveniantur. Cum
unaquæque urbs, & oppidum habeat aliquid,
quod peculiari illecebrâ, & propriâ quadam
Venere gratiam sibi & admirationem concili-
et. Verum nolo his immorari *ambitiosius*, ne
propositi finem migrate videar: & nota hæc in
vulgus praeconio nostro non indigent, quæ
prætermitti potuissent quidem, nisi quorun-
dam ignorantia & inficitia, dicendi fecisset ne-
cessitatem. Obruor ferè materia sermonis, &
dum brevis esse labore, multa, quæ exponi pos-
sent ac celebrari, prævertenda sunt, cum præ-
cipuis me nondum sentiam absolutum. Neque
minus enim decorè secundas partes S E R E-
NISSIMA PRINCEPS SPONSA tuetur, quæ
altissimi sanguinis & illustrissimæ familiæ vir-
tutum que sexum suum longè superantium ful-
gore,

gore, tantarum originum indolem atque for-
tunam luculentis indiciis repræsentat. Ma-
cta ista virtute Heroina Saxonica, nulla fama,
nulla posteritas collatas in Te excellentes &
extraordinaria silebit dotes, quæ exempla nō
agnoscunt. Ignoscite mihi, Auditores, si non
tam communi more modoque vestrum amplis-
simum consensum, quam illam alloqui oratio-
ne videar, quæ ansam mihi & facultatem dicē-
di subministrat. Commotus enim & lætitia e-
bris quasi & sui impotens animus, fertur igne-
is veluti quadrigis ad eō, unde operis auspici-
um cepit. Quid misum igitur, si ILLUSTRIS-
SIMA SAXONUM HEROINA blandienti
Zephyro favoris orationi meæ alas quodam-
modo addat, ut eam præsens venerari præsens-
tem devotâ cogitatione fingam mihi. De qua
autem re potissimum dicere animum inducerē,
nisi de Tuis virtutibus PRINCEPS SPONSA,
& de patria A vitaque laude, quæ in Te diffuso
in immensum splendore emicat ac effulget.
Quid enim non silentio involvere potius, quam
altius repetere Majorum tuorum inclyta faci-
nora existimem, & Minervæ peplo intextas à
melioribus ingeniiis laudes. Tu Aviae, Tu Ma-
tris virtutes collectas in unum, tanquam in ni-

tidissimo speculo repræsentas, & tot siderum
undi quaque collucentium repercussu, oculos
mentesque intuentium perstringis, & vene-
ratione subita imples. Tu tanti Principis ani-
mum occulta vi Virtutis emendatissimis mo-
ribus & ijs plerisque simillimis H E R O I
S P O N S O , Tibi totum devinxisti. Huic
Amor, famâ tuarum virtutum accensus, huic
propius inspectis tot raris, tot venustis doti-
bus, judicium tanti Principis, & votum pe-
rennis & nunquam intermorituræ Amicitiae
tecum jungendæ. In TE enim omnes Ven-
eres, quæ sexum vestrum ornant, in Te Grati-
arum chorus habitat, & quod Poëtarum in
consummato præconio solenne dictum est, Tu
nostræ ævi Pandoræs & ornamentum uni-
cum. Quos titulos, quæ elogia non ab adu-
latione, aut lubidine assentandi proficiisci vis-
debit facile, cui in mentem veniet, educationis
tuæ sanctitas, conspectusque Parentum, quo-
rum vestigia in induendo omnium Virtutum
habitu secura, novum seculo exemplum dedis-
sti, in quo universi generis dotes, Clementia
am modestiamque tuam vel expressit natura,
vel industria cumulavit. Quantum enim in
BEATISSIMA AVIA, & ornamenti, & glo-
riæ,

ritæ, & pietatis: quam tu in MATRE INCOM-
PARABILI salutariū monitorū Lumen & actio-
num omnium instar habuisti Domina. Non Te
Respublica gravem imperio, qualem Liviam
post Augusti obitum, non Laodicen, non Cle-
opatram, non Messalinam, aut Agrippinam ex-
periretur: sed Philen potius, Zenobiam ac
Pulcheriam: & qualis Poëtarum Pater, quem
nihil ineptè molitum fatentur sapientes, Are-
ten Alcinoi describit. Nam apud eundem
Poëtam hoc consilium Ulyssi Minerva dat, ut
adeat conjugem Regis supplex ac cernuus, hu-
ius enim intercessionibus patriæ focis restitui,
novumque fatum, indigna quām perpeſſus e-
rat, accipere illum fortè posse. Eae enim ho-
nestarum conjugum in Republica partes fue-
runt ſæpe, quarum consiliis summi Principes
quoque in quibusdā negotijs uterentur. Sic Li-
viā Augustus audiebat nō raro, quæ modeste ac
opportunè innatā severitatē temperaret; blan-
ditijs deniq; ac singulari comitate, providis cō-
ſilijs instrueret peccat. Angebatur ille, & dies no-
tissim; insomnes agebat, deprehēſa conjuratio-
ne L. Cinnæ ſēdit illicō Livia, & exquisivit blan-
dē, ac persuasit tādē, ut de ignoscēdo potius quā
puniēdo cogitaret, ut quod vindicta ac severitas
haec dare nō potuisset, benignitas forſan ac

Cle-

Clementia redderet. Paruit Augustus tam
falubria suadenti , & subornatis percussoribus
ignovit ex animo, ac imposterum, qui fructus
muliebris consilii fuit, liber ab insidiis omni-
bus & curis vacuus , vitæ peregit reliquum. Et
legum auctor Justinianus, quo amore, qua re-
verentia prosecutus conjugem sit, concessa in-
firmiori sexui privilegia testantur. Possem & il-
lius & nostri ævi exempla plurima conferre am-
plius, magnorum quorundam Principum, qui
bus nullum honestius menti levamen fuit, quam assu-
merē conjugem, prosperis dubiisq; sociam, cui cogitati-
ones intimas, cui par vos liberos tradiderunt. Nolo
recensere Veterum Germanorum confuetudis-
nem , qui fœminis, sanctum aliquid ac providum
inesse putarunt , ut nec consilia eorum aspernaren-
tur, aut responsa negligenter. Hæc omnia in Te,
DOMINA, commemorando admiramur, hæc
merita à Te expectamus , quorum fructum o-
mnes sibi vendicant. Cogitabundus hæsitio an
optimo maximo Principi ac Electori nostro
JOHANNI GEORGIO II. vel sui potius,
vel nostri causa gratulari incipiam, cui Numen
dulce spactaculum, præsidium denique grande
ac immortale familiæ decus parat , nobis vero
uberrimam gaudiorum suppeditat materiem,

Tam

Tam arcane enim & insolubili nexu subditorum fortuna cum Principum salute cohæret, ut illi vel eandem cum eo felicitatem persentiscant, vel in adversis idem illos cum Principe maneat fatum. Gratulor igitur ex imis cordium penetralibus, & quicquid subjicere piezas animo potest, voveo, primum quidem SERENITATI TUÆ, POTENTISSIME PRINCEPS ac ELECTOR : quem in unica acquiscentem filia hactenus, tanto Genero mactat beneficium Numen, & dulcissima Imagine, ex augustissima domo, futurorum Nepotum, intermerato perfundit gaudio. Nobis deinde, quantum felicitatis participes quicquid prosperi obtingit à Tua, MAGNE PRINCEPS, fortuna expectamus, & tum demum vivere nos, ac vigere & effiri quodammodo lætitia sentimus, quum Principem nostrum ; amœnitate quodam frui & ex voto illius omnia succedere videmus. Non enim tacendum nobis diutius, civibus cunctis, & omnibus bonis, totâ aulâ Principali sic constrepente festis ac bene ominatis vocibus, ex quo, gemmam familiæ, subditorumque spem tanto Germanicæ juventutis Principi desponsatam, ac in perennis amicitiae tesseram, in æternum amorem ac fidem, traditam, audivimus.

E

Augus

Augusti felicitatem, cūjus nōmen libenter u-
surpamus, annales memorant, sapientes ve-
nerantur. Sic inter votorum solennia, qui-
bus fausta precarentur Imperatoribus veteres,
non dissimulata, felicitas Augusti fuit. Et ha-
buit ille propitium fortunæ Numen; (quam
providentiæ filiam Thebanus Vates nominat,
& sapiens sibi nonnunquam fingit, (ut unus,
admirabili quadam animi prudentia, nec quic-
quam obnitentibus, tot conjuratis, ascenderet
in id fastigii, quod summum in terris erat. Sed
ea parte, qua Pater esse, & tanto imperio tam-
que late patentí legitimum successorem dare
ac substituere hæredem debuisset, quam infel-
lix, multarum adversitatum fluctibus & pro-
cellis agitabatur. Nata ei unica filia Julia el-
rat, quæ elocata Tiberio, ut indignum ac im-
parem contumeliosè sprevit, totque inexpia-
bilibus flagitiis, parentis famæ aspersit labem,
ut vomicam generis ac carcinoma illam voca-
ret, & publicè fateretur, se illius ancillæ paren-
tem esse malle, quæ ne proderet Dominæ fla-
gitia, seipsam suspenderat. Cujum Luciumq;
Nepotes inverso naturæ ordine maximo desi-
derij sensu, & lachrimis extulit. Tiberium,
quem importunis Liviæ precibus vicius, suc-
cessor

cessorem destinavit , quantum animo aversa-
batur? Hic domesticæ fortunæ malis undiqua-
que obruentibus infelix Pater erat , quem for-
tunatissimum Principem, uno ore, omnes præ-
dicarent. Longò intervallo divina bonitas,
& summus ille Rerum arbiter melius cum Prin-
cipe nostro egit , qui hæredes ei non terrarum
tantum , sed & virtutum & Heroicæ indolis
dedit, & talem filiam in qua omnis generis vir-
tutes conspicuæ sunt & ex æquo eminent, quas
vel singulas in Principe fœmina jure aliquis ad-
miretur. Ut de Amore ac delitijs Patriæ nil di-
cam ; JOHANNE GEORGIO III. quo tan-
quam præsidio ac fulcro stabilitur subditorum
salus. Qui quamvis nondum admotus rerum
sit gubernaculis, quibus natus est; lætissimista.
men incrementis adolescit sub magno Patre ,
& quicquid suo tempore præstiturus est , per
hunc annorum florem & singularem ætatis fa-
cilitatem discit ac haurit. Nulla igitur seditio,
non bella, non clades, non incerta votorum ti-
menda, cū Principē nobis omnia moderās Nu-
mē dederit, quē majorib⁹ ire per saltū auspicijs,
manifesta fides, & populi una vox est. Vivat Sa-
xonica dom⁹, & quod maturis ac sapientissimis
cōsilijs quā optimè provisū est, quod nobilibus

E 2

promissis

promissis felicissimè decretum ; prospero suc-
cessu non destituatur. Hoc votum nostrum
affiduum est , hoc nunquam non immortalem
Deū precabimur, ut hæc exquisita gaudia, nullâ
ægritudine contaminari patiatur. Laxanda
sunt fræna animo nec temperare mihi possum ,
quin prosequar augurium , & accipiam omen
hominum, in omne lætitiae genus immodicè se-
effundentium & maximâ animorum alacritate
illum conspicientium diem, quô contigo ful-
gore, illustria Patriæ sidera conserunt lumen; &
annuente divinâ Numinis gratiâ æterni fœde-
ris auspicium ineunt. Non aliter ac mundi o-
culus , & siderum Princeps Sol , Lunæ lumen
mutuari & illa nitorem Soli refundere; & fove-
re pariter ac recreare benigno aspectu amant ,
quicquid tempestas inquietare potest. Quantos
enim fructus, quanta commoda, quam faustita-
tis spem præcipuorum siderum conjunctio por-
tendat subditis, quantaque pollicetur benefi-
cia, frustra conordicendo explicare. Et festi il-
lius splendorem, magnificentiam , apparatus
ac pompam nuptialem, quam avidissima men-
tis cogitatione percipimus, ornatè & copiosius
exponere velle , minuere est ; cum cogitando
vix possit attingi. Destinata enim ad aliquod
maius

maius theatruim Dresda nostra, in qua regalis
magnificentia scena explicata latè, summodo
siderio præstolata est diem, qui Principibus
gaudia, populo spectacula, & cœlo delitias de-
dit, triumphos denique ac plausus hominum
promeritus est. Nec enim ulla in sacro Imperio
familia erit, domui Saxonicae vel sanguinis
vinculo, vel in violabili fœderis nexu conjunc-
ta, quæ non affectum, solenni gratulatione sit
testata. Sed quæ Procerum & Aulicorum a-
nimi exultatis alacritas, quæ officiosa industriâ,
quæ studia, quæ pietas interfuerit, facile me-
minisse poterit, qui plebejorum undique cir-
cumsonantium jubila, & ad illustre spectaculū
erectos animos cogitabit. Quis autem atten-
tior paulò non animadvertiset, in orationis meæ
cursu illos animi impetus, illas vices, & flu-
tuantis sermonis suffamina quis non obser-
vet: modo gaudii affectu plenum, altiori in-
cedere cothurno: modò consideratione sub-
limium rerum ac incepti operis, fatiscere: mo-
dò ad devotæ mentis interpres, votaque de-
ficiente facultate ac dignitate orationis, prola-
bi. Quis enim verò sigillatim ac distinctè pro-
ut loci amplitudo postulat, dicere aggredere-
tur, quæ vix memoria concipere possis. Vestrū

erit, AUDITORES, conatus ex pietate æstimata
re & vestromet ingenio supplere, quod exili
nostro sermoni negatum. Quamvis ne sic qui-
dem sufflaminare dicendi ardorem, aut erum-
pentem affectum sistere ac comprimere potui;
quin, postquam Illustris Conjugij æqualitatem,
inter devotas preces, qualicunque conatu ex-
posui, de Illustrissimi Conjugij utilitatibus, pu-
blicè privatimque subditorum commodo velis-
fificantibus, sermones seram, lætisque medita-
tionibus, cum dicendo non sustineam, pectora
impleam. Circa omnia enim sudare ac æ-
stuare, & minuta quoque conquirere anxiè in
Principum laudibus, nimium confidentis esse
statuo, parumque decore illustrem Majestatem
mentientis. Sed cuncta elogia coacervare,
aut communibus locis per virtutum classes
Principum merita extollere, illius est; qui an-
gustius illa costringat, aut Asiatico & ventoso
dicendi genere, sophistarum declamationes i-
mitetur. Nobis satis erit persequi proposi-
tum, & ductu simplicis Musæ pias voces & fau-
sta ordiri omina. Nam porrò illustres animi &
similes corporis dotes, quæ se in utriusque Ves-
trum, PRINCIPES SPONSI, vultu formosissi-
mè ostendunt, injiciunt manum festinanti, &
aciem

aciem mentis ad se trahunt. Non dicam
nunc de vivido illo ac maturo ætatis flore, quo
in Electorum & Principum liberis Carolina
lex laudatur. Principes Viri formâ emendatâ
præcellunt sæpiùs, proprijs etiam insignibus
condecorantur non raro. Sic Augusti oculis
divini vigoris quicquam infuisse Suetonius ac-
curatè notavit. Homerus similiter Heroibus
ac Dijs thorosa ac præstantia & erecti habitus
corpora tribuit, ne in parva videlicet domo
animus habitet DEO proximus, & qui tot po-
pulis prospiciat ac imperet. Inde Barbaris in
corporum Majestate veneratio fuit, magno-
rumque operum non alios capaces putarunt,
quam qvos eximia specie donare natura digna-
ta sit. Sicut autem duo pulchritudinis genera
sunt; (qnam quidem Philosophi in cassum de-
finire contenterunt, cum non magis inter illos
de illa conveniat; quam de summo bono, inter
priscos seculi sapientes,) unum virile: quod
dignum Tyrannide apud Porphyrium vetus
Poëta vocat; alterum muliebre, quod venu-
stas & collecta frontis modestia illustrat: hic
illud sponsum celebrem facit; hoc verò
PRINCIPEM SPONSAM, insigni prærogati-

va, &

wa, & inguentium animos conciliandi vi ac cef-
facia, ostentat, & domi forisque in admir-
ationem producit. Quemadmodum apud A-
morum Scriptorum Virgo laudatur in istis :
*Quinto splendidior, quam cætera sidera fulget
Lucifer ; E quanto, quam Lucifer aurea Phœbe ;
Tanto virginibus præstantior omnibus Herse
Ibat, eratq[ue] decus, pompæ comitumq[ue] suarum.*
Et apud Virgilium, Dido in illis, carminis di-
vini versibus :

*Regina ad templum formâ pulcherrimâ Dido
Incessit, magna juvenum stipante caterva.
Qualis in Eurotæ ripis aut per juga Cynthi
Exercet Diana chôros : quam mille secutæ
Hinc atq[ue] hinc glomerantur Oreades : illa pharetram
Fert humero, gradiensq[ue] deas supereminet omnes.
Latona tacitum pertentant gaudia pectus
Talis erat Dido, talem se lœta ferebat
Per medios, instans operi regnisq[ue] futuris.
Sic tantum Ducissam Saxoniæ, ERDMUTH
SOPHIAM, omnes, quos eximiæ formæ spe-
ctaculum convocabit, coeterarum pulchritudi-
nem superare mecum fatebuntur ; quantum
Princeps ipsa sui generis omnibus in univer-
sum antistat. Quamvis enim pulchritudinis pi-
cturam, & perfectissimum simulachrum, quod
vel*

vel Zevxis aliquis vel Apelles Helenam forma-
turi reddere conati sunt ; à Poëtis libenter mu-
tuemur : qui vel ipsis Diis dant, quod ament,
& cœlestes vultus, purpureum colorem , ni-
veum candorem, ruborem exquisitum, fingunt
sibi ac ingeniosis numeris imitantur : dignum
tamen admiratione, præclaram pulchritudinē,
in animantibus quoque & in ipsis inanimis re-
bus, singularem gratiam ac vim obtinere tra-
hendi ad se animos ac devincendi. Quanto
magis igitur in homine, ratione prædicto , ubi
nil excellentius vel humanis elogijs eyehi pot-
est, quam anima formosa, seu virtutis capax, in
corpore, gratissimâ formâ ac amabili conspi-
cuo. *Gratior est*, inquit Poëta, *pulchro veni-*
ens è corpore Virtus. Acutè quoque ac falsè Car-
neades Philosophus ut omnia, sic formam, re-
gnum absque satellitio appellavit : quæ citra
imperium flesteret subditorum animos ac de-
tineret, omniaque persuaderet miti ac blando
aspectu absque violentia. Quando autem mo-
res ac studia Principum corporis pulchritudini
respondent, tum demum beatissimi ac perfectissimi
supra cœterorum sortem longius ascen-
dunt. Sicut magni pretij gemma, clariùs lueet
atque nitet auro distincta, quām si in ære aut ar-

F

gento

gēnō posita ac cœlata sit : ita in magno Prin-
cipe virtus, aucto in immensum splendore emi-
cat magis accoruscatur ; quam in privato & via
lioris fortis homine. Quis autem litterarum
amore ac studio, aut peritia eorum rerum, quæ
magnum Principem faciunt in comparationem
cum PRINCIPE SPONSO venire potest ? Qui
arcto coutubernio Musas sibi junxit , & æter-
num cum iis pepigit foedus. Hæ enim vividam
indolem , extra patriam Minervæ sacrariis &
artium officinis traditam ad tantæ eruditionis
culmen evexerunt , ut quacunque ex parte o-
stendendum ingenium & explicandum in pu-
blico sit, supranil dari possit. Fuit semper Prin-
cipum ac Imperatorum studium , aptè dice-
re. Nam Dictator Cæsar summis Oratoribus
æqualis , & Augusto prompta ac profluens ,
quæ deceret Principem, eloquentia fuit : Tibe-
rius artem quoque callebat, quæ verba expen-
deret, tum validus sensibus , aut consultò am-
biguis. Et C. Cæsaris turbata mens vim di-
cendi non corrupit. Nec in Claudio , quo-
ties meditata differuit , elegantiam desideres.
Semper enim clavo Imperij destinati Principes
tales potissimum sibi duces delegerunt, quo-
rum præceptis vividum animum civili elo-
quens

quentia imbuerent. Quid enim aliud Iulius
Cæsar intendit, cum Rhodum profectus cla-
rissimo dicendi Magistro operam daret, & Au-
gustus cum Apolloniam missus; ut ad res ci-
viles pro dignitate tractandas, cultū orationis
addisceret. Quorū exēpla felicissimè æmulat⁹
SERENISSIMUS PRINCEPS SPONSUS, se-
vera lege, sub celeberrimis ductoribus in tan-
tum profecit, ut animi sensa, variis linguarum
idiotismis, Latino Latine, Gallo Gallicè, Italo
Italicè, possit gloriōsius exprimere, & illos ad
colloquij certamen provocare. Sapienter
Plato ac verè, qui primitūs divinitatis nomen
meruit, tum denum felices fore Respublicas
dixit, cum aut Philosophi eas regerent, aut
Reges ipsi philosopharentur. Quamvis enim
magis referat fortiores fieri, quam doctiores;
alterum tamen sine altero difficulter fit. Ne-
que aliunde venit animo robur magis, quam
à bonis artibus, & contemplatione naturæ,
si Senecæ credimus. Et quid sibi non pro-
mittant literæ de tali Principe, qui proprio
exemplo incitat, & ad literarum studia inflam-
mat liberaliū artiū studiosos, & quotū partes in
Republika & rebus feliciter expediendis esse

possint. Regis ad exemplum totum componi
orbem, vetus Poëtæ dictum est. Magna enim
vis & impetus inferiora impellendi, & sursum
trahendi Principalibus & sublimibus exemplis
inest. Sequitur autem quisque suam naturam
sic, ut simul etiam in Principis mores inspici-
at, seq; ad illud in alto situm instar, quantum
quidem fieri potest, componat. Quotusquis-
que igitur ad motas faces & acria incentiva
virtutum non sentiat, cuni relatum legat, à ma-
gno Principe literas suspici accoli, quas aliis a-
grestis & rudis Minervæ despiceret, aut habe-
ret contemptui. Ecce autem non innotuit li-
beralitas ac beneficentia PRINCIPIIS SPON-
SI, qui tot decoris ingenijs, passim in Acade-
mijs viventibus subsidia clementer submini-
strat: eum proventum optimum existimans,
qui ingeniorum est, quorum ope, quicquid
domi forisque præclarè gerit Princeps, æterni-
tati seculorum commendari & seris nepotib⁹
transscribi potest. Omnia enim mortalia ca-
duca sunt, sola virtus clara æternaque habe-
tur, si victuris ingenij monumentis & annaliū
fide posteris celebretur. Quod generosi viri,
historiæ genio præstant, maximè & illi, qui
mitioribus literis, ad publica negotia poliun-
tur

tur & formantur. Qui quantum in aula ILLU-
STRISSIMI PRINCIPIS SPONSI polleant,
supervacaneum sit demonstrare. Quippe e-
ruditus, pacis ac belli artibus Princeps, tales li-
benter & fovet patrocinio, & lateri junctos ha-
bet; qui utiliter juxta ac sapienter condimento
humaniorum literarum conservandi status, ar-
tes temperant, Musarum vindices ac tutores
optimi. Sed satis erit doctrinæ ac bonarum
artium amorem in Principe aliquantis per con-
templatum esse; dum nunc pietas & purioris
Religionis amor injicit manus, qui in illo cum
justitia & æquitate paria facit, in tantum non
studiis liberalibus ac literarum peritiâ obfu-
scandus, (quæ quorundam vesana ac impru-
dens opinio fuit) ut potius splendeat clarius
professione, constantiâ & recto ac ingenuo de
vero Deo sensu ac cultu. Nam mansuetudo
quædam animi ac tranquillitas, & immotum
in fortuitis animi robur, Imperantium mentis
bus, instillatur succo cœlestis doctrinæ; quæ
faciles illos & obnoxios præceptis reddit, no-
titiamque veram Summi Numinis ante omnia
monstrant, & piè pureque venerari docet co-
gnitum summum Regem, qui cæteros omnes
& instituit, & potenti dextrâ servat, & contra

malorum undique ingruentium insultus firmis-
ter defendit. Quod pensi habuerunt in primis
Majores Vestri, SPONSI PRINCIPES, qui
postquam illuxerat orbi clarum Religionis ju-
bar, adeo de vota cultum & venerationem Dei
& promoverunt & propagarunt, ut hac via,
non consecrati quidem aut cum aquilâ, ac suf-
fitu, (quæ paganorum supersticio fuit,) sed spon-
te suâ in cœlum ascendisse videantur. Hoc
Vos tenetis: pietatem cœterarum virtutum, o-
mnisque felicitatis apicem esse, firmiter per-
suasi. Nam prospera omnia & ex sententia eve-
niunt colentibus Deum, adversa spernentib⁹:
& nulla res efficacius regit multitudinem, aut
famam ac potentiam donat, quam sacrorum
tuitio, & precibus ac ceremoniis sacris placa-
tum Numen, supplicijsque delinitum. Ete-
niam ab omni ævo observatum; piis religiosis-
que Principibus, qui pura integra & incorru-
pta mente unum illum Regnatorem Deum de-
votissimè venerati sunt, omnia successisse meli-
us & fructum illos ac præmium satis amplum
pietatis atque probitatis in hac fragili scena tu-
litisse, securos ac erectos in spem futurorum bo-
norum, quæ mundi Servator nobis acquisivit.
Sed properandum, & tenenda institui ratio est,

ac

ac de commodis ex Illustri Conjugio proma-
nantibus breviter ac strictim exponendum. Eu-
ripides, cuius singulos versus singula testimo-
nia Cicero indigitavit, de privatorum homi-
num conjugijs verissimè scribere visus est: mor-
talium quibus secundæ nuptiæ cedunt, vitam beatio-
rem esse, sed quibus aliter, illos domi infeliciter agere
et foris. Quod in illustri conjugio multò ma-
gis credibile & veritati consentaneum est. Nam
multorum hic involvitur sors, & auctoramen-
ta ac fructus ad omnes spectant. Æternitas
magnarum familiarum, pro quibus ardentibus
votis, apud Deum cordati subditi ac pij inter-
cedunt, Conjugiis Principum insolido locan-
tur, posteriq; & Nepotes, quò preces civium
vergunt, tanquam stirpes ac frutices ex grata
arbore, quæ tamdiu umbram illis tutissimam
præbuit longâ serie expectantur. Florida
enim & amœna primùm, arescente truncō &
mortuis ramalibus, haud lætam amplius spem
fructus exhibet agricolæ. Quoniam verò
Principem arbori assimilavimus, insistamus
porrò imagini, & videamus, ecquid ad des-
monstrandas Conjugii Serenissimi utilitates
commodè afferri à nobis possit. Qui ex-
ercent plantaria, surculos ac frutices de ma-
gnis & fructuosis arboribus alienæ stirpi
inse-

inserunt , quæ si coalescant , spondent com-
moda , & similes tandem suppeditant fruges .
Quid autem in situ hæc aliud , quām quoddam
velut matrimonium est ? Et sicut stirpes ac ar-
bores novellæ translatæ è natali solo in aliud ,
laxius latiusque crescunt : sic Illustres fami-
liæ consertæ cum aliis veluti uberi fœtu augē-
tur & incrementa accipiunt ac robur . Cæterū
prout ad annosam quercum , si quando exare-
scit subito , ac ruit , convolant undique omnes ,
& ut in proverbio est , colligunt ligna ; ita in
Viri Principis obitu fit , ubi pravæ aliorum spes ,
& cupiditates avidæ non sistuntur , nisi liberis
Imperii status firmatus fit , & quibusdam stabi-
limentis ac fulcris insistat . Nam non classes non
legiones perinde firma Imperii munimenta , quām nu-
merum liberorum esse , Tacitus affirmat . Principa-
tus igitur perennes sunt ac æterni , certa suc-
cessionum serie , quas sola connubia , & illa fi-
liorum ac nepotum spes præstant . Orbitas e-
nimi Principis spernitur , quod Alexandri effa-
tum est . & subditorum amor nutat ferè & lan-
guescit . Publicæ quoque securitatis inter est , ne
rerum summa electioni & casibus permittatur ;
sed liberis cum Majestate una & ingenita sub-
ditorum veneratione & charitate erga legití-
mum

num Principem'; confirmetur. Quas utilitas honestum conjugium confert, & Principis felicitatem, in his terris unicè absolvit, qui nō decessisse existimandus est, quando naturæ debitum persolvit, cum in liberis ac posteris virtute ac moribus plerumque vivat ac regnet. Non ibi in partem subsidijs adoptio arcessenda est, non Reipublicæ status incertitudini dissidentium votorum committendus; cum minori discrimine sumatur successor, quam queratur; non intestina bella ac clades timendæ inter eos, qui improbo voto sceptrum sibi, rem inter Deos hominesque pulcherrimam, destinant, nec dominatio vel favore, vel fraude ac ambitione, vel vi ac armis, ad indignum & exterum deferenda sit, sed Princeps è Principe natus, & vultu ac morib⁹ aut virtutibus maximè Patrē referens, plaudentibus subditis, Parentis solium occupat, & per manus delatum Regnum auspicatur. Fuerunt præterea, qui primam illā societatem, quam connubium vocamus, non conservationis tantum, sed jucundioris comodorisq; vitæ gratia iniri existimarūt. Cōpertum deniq; sapientibus ac in propatulo est, nullā amicitiam magis stabilem inveniri magisque omni officiorum ac pietatis generē cumulatam,

G

quām

quam matrimonij. Optimo enim fundamen-
to constat & ex quotidiano ac familiari usu in-
crementa colligit, mutuisque officijs indies
arctius nequitur. Philosophus Chæronensis,
librum inter plures alios scripsit de dignoscen-
do amico ab adulatore, in quo adductis ultro
citroque sententijs, solos Reges ac Principes
amicis destitui, probare conatur: quam vere
ac recte dispiciendum nobis erat. Sicut au-
tem non alia temerè res, vel ad vitæ consuetu-
dinem & festivitatem jucundior, vel ad nego-
tia obeunda, & commercia necessaria facit ma-
gis, quam sincerus amicus; quis Reges in soli-
tudine degere, & vitam barbaræ inhumanità-
tis plenam sine cuiusdam familiaritate aut fide
absolvere debere, persuadere cuiquam vellet?
Nam & Principes affectibus, quos natura Pa-
rens dulcissimos homini indulxit, accenduntur
ad amandum, & nulli magis vel pluribus, vel
fidelioribus amicis opus habent, quam Prin-
cipes. Etenim multorum oculis videat opor-
tet, qui unus tot hominum millibus prospicit.
Proinde nisi prudenter vicariam ejusmodi o-
peram fidorum amicorum quæsierit Princeps,
& sollicitaverit in futurum, non certè par erit
laboribus infinitis. Neque Herculi quidem

Phi-

Philoctetem, neque Dario Zopyrum, neque Achilli Patroclum invidere quis poterit; nisi solis Principibus legem positam falso arbitretur, ne quenquam ut virtutibus ac factis insigndem, sic affectuum quoque paritate, & genij benevolentiae similem, habeant praeter ceteros charum, ac in contubernium vitæ & secretorum admittant consortium. Verum multis obseptum difficultatibus negotium est, & vix in optimum Principem cadit, ut talem amicum inveniat: qvum eorum summa raritas, & iniqua vicissim obtrectatio sit aliorum, si que videant gratia & dignitate apud Principem valere, illius amicitia illustrem esse. Quod in Datamis exemplo consultissimi fortissimiq; omnium Barbarorum, ducis, probat Cornelius Nepos; quem tam acerbo odio & simultate prosecuti sunt, qui circa Regem erant, ut illum invidiâ calumniaque oneratum, de gradu dejecterent, & ad voluntariam mortem compellerent. Nec æqualitas ac similitudo, nisi opinione summæ virtutis excogitari potest, per quam Principi quisquam tam arctè concilietur; qui ceteros omnes longo intervallo excedit. Et his rebus inferior pro adulatore plerumque, inter fortunæ splendorem, amicus fallit, personatusq;

matuſq; obrepit ac fucatus , ut qui humilioř
conditione ingenui locum implere non pos-
ſit. Rari enim Demarati ac Solones ſunt, &
ſecurius aliquis Platonis personam aut Sene-
cæ, quam Callisthenis ac Papiniani induit. Præ-
terea cum familiaris consuetudo vitæque ſua-
vitas & aſſiduus uſus amicitiam feliciter peren-
nare faciant ; talis apud Principem vix eſſe po-
terit , qui quamvis moderatissimus ſit , omnes
tamen nutus & actiones ita diſpensare debet, ut
omnibus ac ſingulis facilis obviuſque appare-
at. Carerent igitur amicitiâ Principes quaten-
nus æqualitatem ac ſimilitudinem ſpectamus,
& faciliuſ alioquin amicis , qvos aquâ & igni
neceſſarios magis quidam dixerat, deſtitueren-
tur. Verum nulla amicitia aut ſanctior eſt aut
fida magis, quam si amabili vinculo conjugii
pares inter ſe & dignitate & fortunæ muneri-
bus Principes conveniant, atque officijs pietate
& amore amica lite invicem decertent. Hoc
eſt perfectum illud abſolutumque bonum , &
celebris utilitas, quæ ex Principum connubiis
aurei fluminis iſtar emerget & exuberat. Ex-
tollant alii & laudibus Cœlo iſferant, Damo-
nem & Pythiam, Pyladem & Orestem , Achil-
leum & Patroclum, Lælium & Scipionem , ami-
cos

eos adeò inter se conjunctos , ut omnium seculorum admirationem meriti sint. Verissimum tamen est , quod Poëtarum aliquis cecinit : *Omnis amor magnus, sed aperto in conuge major;*
Hanc Venus, ut vivat, ventilat ipsa facem.
Cujus honesti ardoris affectusque infinita exempla ad nos consignata pervenerunt , quorum cum primis memorabilia sunt , Alcestis & Admeti , Panthiæ & Abaradatæ , Portiæ & Brutii , Sinadi & Camæ , & quæ nostrorum temporum historiæ majori fide nobis celebrarunt . Sed non potest non hoc Vestrum , PRINCIPES SPONSI , conjugium felix fortunatumque vobis primum ipsis , & Augustissimis familiis vestris , deinceps communi Patriæ , & omnibus civibus existere . Sedatur tempestas ad certos stellarum ortus , & redditur cœlum quando Pellæa flamma lumine optato micat . Vostans quair gemellos Castores omnes respiciunt & tutelam à vobis ac præsidium expectant . Quæ admodum in maritima jactatione & spississimis tenebris illi conspecti solantur nautas & in meliore spē erigunt cōcussos ac prostratos : ita Vos ex fortunæ procellis eripietis publicā Patriæ navē & ad certissimū portū tutissimāq; stationem perducetis . Omnes Te , PRINCEPS SPONSE ,
mas

magnâ alacritate, gratulatione ac gaudio ut exorientis solis jubar adorabunt religiosè & excipient, qui serenanti aspectu illustraturus es non Dresdam tantum nostram, sed universam Saxoniam.

*Instar veris enim vultus ubi tuus
Affulgit populo, gravior it dies
Et soles melius nitent.*

Te verò, HEROINA SAXONICA, ut claram ac serenam Lunā, (cui Antiquitas, ut miti Deæ, supplicabat,) veneramur, & felicitatem ac levamentum pro periclitantibus ac miseriis speramus. Conserite fulgores, radiosq; benevolentiae vestræ, ac gratiæ, potentiùs figite. Nulla vis Vestrū amorem frangat, aut perimat, & æternum vinculum, non senium, non dies dissolvat. Procul infortunia ab actionibus, consilijs, & auspicijs Vestris sint: & securitas & fides & concordia, felix conjugium sequantur. Sera, & posteris demum ac Nepotibus nota sit illa dies, quæ Vos cœlo afferet: & ne felicitas morti desit, hanc aliquando nox una fragilitate exsolvat. Nulla fastidja, nullæ ægrarum suspicionum curæ, thalamum Vestrū

strum inquietent. Hæredes ac successores ter-
ris vestris longa fide approbetis , & quam diu
mortales eritis, nihil ex domo vestrâ sentiatis
miserum. Abstineat à Vobis manus suas for-
tuna anceps, nec potentiam, nisi ea parte , quâ
prodest, ostendat. Sidus hoc Vestrum, quod
præcipitato ac demerso in tenebras orbi , re-
fusit , semper luceat. Ita vivite, ita vigete,
potentiâ florentes, illustres gloriâ ,

DIXI.





Heroi magno, Francorum stemmate nato,
Saxonicæ nubit filia diva Domus.
Dum celebrat tantum clarissima Misnia festum,
Tu coram doctis verba diserta facis.
Qilibet hunc animum laudat, tecumque triumphat,
Et pro conjugibus fundit ad astra preces.
Sic patriæ Patrem colimus, pia thura ferentes,
Saxonia ut crescat fama decusque Domus.

Michael VVendelerus, S.S.

Theol. D. ejusdemque P.P. Extraordinarius, & Philosophicæ Moralis ordinarius.

UNa, HOIERE, Tibi duplices Oratio palmas

Conciliat: literas Te coluisse piè.

Hoc argumenti monstrat Celsissimus Index

Eloquiiq; stilus melleus illud habet.

Ægidius Strauch

S. S. Th. D. P. P.

Se-

gaubis T

H

SERENISSIMIS THALAMIS,
SAXONICO-BRANDENBURGICIS
devotissima suspiria:

S Pirate blandum flabra Favonij!

S Sereniori fato currite sidera!

Et depluat felicitatem

Totius Arbiter universi!

Facundus amnis Castalidum, melos

Ex arte pulchrum singat & insonet!

Palmis triumphalique lauru

Hos Thalamos Hymenæus ornet!

Coniuncta nexu dissociabili,

Ex WITTIKINDI stemmate Regio,

DIVINA VIRGO, sacra BRENNI

Fœdere Conjugalia ardet.

ERDTMUTH-SOPHIAM, Delicias tuas,

DUX CHRISTIANUS, Misnia, jubilo

Strepente querit: plaudit æther,

Et cumulant sua vota REG ES.

LEO JUBATUS cumque AQUILA IMPERI,

Lætatur: acris CIMER, & ULTIMA

THULE, Canopi perremotum

Sidus, in omnia fausta surgunt.

ERNESTE PRINCEPS MARCHIO, *Francicus*

TE Mænus, flumine supplici

Exspectat, & SPONSUM suavi

TE sonitu resilius salutat.

Due ad carentem portibus insulam

Mortalitatis, NOMEN AMABILE!

Sis PHOEBUS ingens, ILLA PHOBE;

Lumina maxima PRINCIPATUS.

H

Tardum

Tardum sereni tractibus ætheris
TE SIDUS addas CONGEMINUM tamen :
Diffunde BRANDENBURGICUMQUE
Stemma Tuum, pius oro servus.

GEORG. CASP. KIRCHMAIER.

AD SERENISSIMOS PRINCIPES
SPONSOS.

Jungite divinas æterna in fœdera mentes,
Et dextris Jurate fidem CERTISSIMA NOSTRIS
NUMINA FORTUNIS. Vinclum coalescat in unum
Fidus amor: gemino sint una in corpore tantum
Pectora, quæ concors æternum flamma lacestat,
Nec vires unquam primas stimulosq; remittat.
Æolus hybern s Aquilonem solvat ab antris,
Marmoream Ponto vestem, gelidasq; pruinas,
Et niveum Lerris meditantem vellus aquarum;
Arboribus cani mundo rugosa senectus,
Etrigor infestus redeat populisq; scrisq;;
Nulla tamen, SPONSI ILLUSTRES, persentiat unquā
Frigora vester amor; quin semper serveat idem
Pectoribus semel unitis, & germina reddat,
Germina, quæ celsis valeant æquare Parentes
Mentibus, & Proavum vestigia pulchratencere.
Quod submissa vovet pietas, quod poscimus omnes
Sidera, quod cœlum supplex Numenq; precatur
HOYERUS, laudes dum vestras ore diserto
Prædicat, & Thalami lætissima facta celebrat.
Accipe devotum fidei, PAR NOBILE, manus,
Debita & obsequij qvæ pignora humillimus offert
Ut nostrum pariter studium, promitasq; Camœnas,
HOYERUMq; simili loveat clementia Vesta.

Otho Prætorius

Prof. Publ.

Odulce DIVI SAXONIS, PATERIÆ PATRIS,
Levamen; augustumq; DIVINÆ decus
DUCIS; dies optata salve, ritè quæ
Præbes sacrum CELSISSIMIS THALAMIS jubar!

Te concupivit purior dudum fides
Vidisse; te cives, potensq; DRESDATE
Donasse gaudent regiâ Pompâ. Tibi
Adsit benigno numine DEUS, qui fretum;
Vastumq; puri dirigit spatum poli!
Sic dum precaris, civium inter omnia
Lata, populisq; faventibus, Dulcissime
HOIERE, nate subditum probas pium.

M. Michael VValtherus,
Facult. Philos. Adj.

Sonnet.

So muß der Kluge Wiss sich von den' Seelen trenne/
Die Keine Flamme treib't, wenn seiner wortte-
pracht

Von hohen Sachen spricht: die Eytelkeit verlacht
Und schwingt sich Himmel an: den lernen Fürsten ken-
nen /

Der dieser Lob anstimmt, und weislich weiß zu nennen
Worauf ein Haß entstammt: wie groß es ist geacht
Und wie sichs aufgethürrt; daß auch die schwere Last
Fast durch die Wolcken bricht; dem muß auch Erys gönnen
Den Wohlverdinenten Lohn. Wer wahre Helden
preist

So mathen Neider Giefft schon längest überstiegen/
Der muß mit Ihrem Rhum zugleich Rößlich Siegen.

Du hast auch / Werther Freund, was irgend rhünlich
heist

Er

Erwuchert durch den Fleiß: Du wirst vor andern Allen
Dem großen Sachsen-Stamm auch billich wohlge-
gefallen

Seinem hochwerthem

Freunde setzte es

Gottfriedt Strauß

*T Eſtatur, Arpinatis amabile
Te flumen exhausiffe, Sacrofluens
Ex ore Sermonum. Cupido,
Cūm, quaſi Atlantiades ſopitas
Mulcendo mentes: purpureā DECUS
Stas in Cathedrā; verbaq; Nectaris
Effundis instar. Grator ausis,
Quæ Novæ fama vēhet quadrigis!*

Johannes Adamus à Schönefeldt
Nobilis Misnicus.



Cor. 3. S. A 180, v. 28